



**Arnoldi Corvini â Belderen, Batavi, Jcti quondam
Consummatissimi, Consilarii Electoralis & Professoris
Moguntini Publici, &c. Tractatus Geminus De Personis
Atque Beneficiis Ecclesiasticis Sive ...**

opus posthumum, diu desideratum, nunc demum excusum, & indice
locupletissimo instructum

De personis ecclesiasticis

Corvinus van Beldern, Arnold

Francofurti ad Moenum, 1708

VD18 10184902

De Vitio originis laborantibus non ordinandis. Tit. 18

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62002)

TITULUS XIII.

De vitio originis laborantibus non ordinandis.

SUMMARIA.

- 1. Illegitimi honorum incapaces apud Ethnicos & Christianos.
- 2. Quare.
- 3. Quare non potius tales procreanti imposta pena.
- 4. Dispensationi Pontificis circa istos hic locus.
- 5. Quousq; ea simpliciter facta se extendat.
- 6. An hic dispenset Episcopus.
- 7. Quid si irregularis talis susceperit ordines.
- 8. An potest Pontifex dispensare, ut irregularis in Ecclesia, cui illius præst pater, ordinetur.
- 9. Ut ei succedat in beneficium. Et quare non.
- 10. Quid hic in ascendente.
- 11. Dispensatio precedere debet actum.
- 12. Quid si illegitimo ordines collati.
- 13. Quid dicendum de hereticorum filiis.
- 14. Quid de Conuersis.
- 15. Quid de eorum liberis.

Propter vitium originis, sive natalium, quidam ordinari prohibentur. Quemadmodum enim apud Ethnicos sancitum & observatum fuit, ut illegitimè nati, quantumlibet sine culpa contraxissent labem hanc, honoribus & dignitatibus non gauderent; ut tradit Tyraqu. de Nobilit. cap. 15. ita jure optimo & potiori fuit à Sacris canonibus constitutum, ut arceantur ab Ordinibus,

Ddd 3

Orvinius
Personis
nes, Ecclesiis

IV

32

bus, in primis *Presbyterorum filii, aliiq; illegitimi*, ex quocunque loco extra matrimonium, procreati: *c. 2. c. ad hęc. 12. de filiis Presbyterorum. c. inter dilectos. 11. de excessib. Prælat. sac. cap. infamibus. 87. de re. jur. in 6. can. Presbyterum. cum seq. seq. dist. 56. c. cum in cunctis, de elec. c. venerabilem. qui filii sint legit. Concil. Trident. sess. 23. de reform. cap. 1.*

2 Arcentur autem hi omnes ab ordinibus & beneficiis Ecclesiasticis, tribus potissimum de causis, *Primum*; Ob *Excellentiam sacrosancti Ordinis*, quæ non exposcit solum meritum personæ, sed etiam originis honestatem, nec infamibus aut turpibus committi debet: *de elec. inter dilectos. Secundò*; In *paterni criminis detestationem*; quod plurimèque jus etiam detestatur in filiis: *c. urgentis. 10. de heretic. Tertio*; Ob *timorem paternæ incontinentiæ*, cujus præsumuntur futuri imitatores: *can. si gens Anglorum. dist. 56.*

3 Propterea non rectè objici potest, debuissè potius procreantibus poni hanc irregularitatem, in quo sit culpa; nam non agitur de peccati culpa, sed de indecentia, & præcavenda in futurum simili turpitudine.

Illa non timetur si monasticæ vel regulari disciplinæ se subijciant *Presbyterorum filii aliiq;*, proptereaque ordinari possunt; *c. 1. de filiis Presbyterorum. ordin. can. nisi dist. 56. Gloss. in c. fin. cod. Novel. 5. in præf. secundo tamen Prælaturas, citra Pontificis dispensationem, aditu; de elec. 1. & fin. cum Gloss.*

Sed Sixtus V. *constit. sua*, noluit admitti ad religionem ex incestu aut sacrilego coitu natos; nisi ad locum converforum. Ratio est in majori istius copulæ turpitudine. Circa aliorum naturalium, quorum non tam turpis est conceptio, admissionem, nihil mutavit, nisi quod informationem super vita & moribus velit præmitti. Quam Sixtus V. prohibitionem relaxabit Gregorius XIV. illegitimorum, arbitrio Superiorum, admissionem permittens. *Zes. in comm. ad decret. tit. de filiis presbyt. ordin. num. 23. Vallens. in par. decret. d. tit. num. 3.*

Extra monasticam regulam positi ad ordines non admittuntur, ne quidem minores, nisi ex dispensatione Episcopi, cui hoc permittuntur, uti & dispensare super beneficiis, quibus animarum cura, (aut dignitas non annexa; modo non obstat canonicum impedimentum aliud; *c. 1. cod. in 6. Piac. 1. part. 1. num. 60.*

Dispen-

Dispensatio Pontificis irregularitatem tollit, facitque eos habiles 4
 ad majores Ordines, & dignitatum, & beneficiorum, curam anima-
 rum annexam habentium, capaces; mores si respondeant & merita.
can. Apostolica. 12. cum seq. dist. 56. d. c. 1. eod. in 6. junct. d. c. ult. d. can.
Presbyterorum. 1. vers. sed hoc intelligendum est. d. dist. 56. c. extua. 9. c.
litteras. 14. de filiis presbyt. ord. Nasci enim de illegitima conjunctione,
 non est culpa ejus qui nascitur, sed illius qui generat. *can. nasci. 5. d. dist.*
56. Erundecunque homines nascantur, si parentum non sectentur vi-
 tia, & Deum colant rectè, honesti erunt & salvi. Semen enim homi-
 nis, ex qualicumque homine, Dei est creatura; & eo male utentibus
 male erit, non ipsum aliquando malum erit. *can. undecunq; sicut satius.*
& caus. 32. qu. 4.

Dispensatio simpliciter super ordinibus facta à Pontifice, non est, 5
 ut quidam putant, extendenda ad majores, cum dispensatio sit strictè
 interpretanda, *d. c. 1. eod. in 6.* & ita restringenda ut minimum recedatur
 à jure communi. *Gloss. in c. litteras. 14. de filiis presb. ord. Specul. de dis-*
pensat. §. fin. num. 2. Nec hic oratio indefinita, ut quidam volunt,
 aequipolet universali. Alioqui *in c. 2. eod. in 6.* frustra exprimeret
 Pontifex, ad omnes Ordines promoveri valeat.

Si tamen cum constituto in minoribus, hoc sciens Pontifex, dis-
 pensaret, ejus dispensatio, ne operetur nihil, ad majores traheretur Ordi-
 nes. *arg. c. si Papa. de privileg. in 6. Abbas in d. c. litteras. num. 6.*

Quod si Pontifex certum expresserit Ordinem, ne utquam trahe-
 tur ad Superiorem, quod unius inclusio, alterius sit inclusio; quo casu
 certum est inferiorem ordinem eocludi, cum virtute insit. *Zaf. d. loc.*
num. 4.

Hinc facta dispensatio ad beneficia non continet alia, quam sim-
 plicia. *d. c. 2.*

Nec dispensat Episcopus super irregularitate ex defectu natalium 6
 occulto, *vid. Navar. sum. cap. 27. num. 201.* licet Concilium Trident.
sess. 24. de reform. cap. 6. dispensare ipsum permittat super irregularitate
 ex delicto occulto; Loquitur enim de crimine ejus, qui est irregularis,
 cuius in hoc casu est nullum. Nec facit quod hic subsit delictum pa-
 rentum: quia Concilium non respexit illud, atque eò id trahere, esset
 torque-

Orvinius
 Personis
 res, Ecclesiarum

IV.

32

torquere ejus verba. *Navarr. d. loco num. 194. Zaf. d. tit. num. 5. & 6.*

7 Quod si irregularis ex defectu natalium susceperit ordinem, non potest Episcopus (ut vult *Navarr. d. loco num. 201. & conf. 4. de filiis presbyt. propter ejus bonam fidem*) dispensare quoad ascensum ad ordines, ne culpa proficit; & susceptorum executionem. Ratio est quod *in c. 1. eod. in 6.* generaliter negetur Episcopo dispensandi potestas quoad majores ordines, quod irregularitas ante contracta, non tollitur per ordinem temerè susceptum; nec ullibi pateat data potestas dispensandi ea de causa. Et licet rationi sit consentaneum, ut detur; congruentia tamen sine potestate non sufficit. Nihil faciente bonà fide, nisi quod minuat peccatum. *Zaf. d. loco num. 7. vide Covarr. ad d. Clem. si furiosus. part. 1. §. 1. num. 3. de stat. & qualit. ord. Innoc. ad c. si celebrant. ult. num. 3. de Cleric. excom. minist.*

8 Dispensatio itaque facit illegitimum habilem ad Ordinem & beneficia; non tamen solet dispensare Pontifex, ut ea obtineat in Ecclesia, cui pater præest, aut præfuit, aut habuit beneficium. *c. 2. & 3. de filiis presbyter. Indecorum enim esset, paternæ incontinentiæ fovere memoriam in locis & rebus Deo consecratis, quibus maximè compertur puritas sanctitasque. Concil. Trident. sess. 25. de reformat. cap. 15.*

9 Multò minus, ut patri succedat in beneficium; Quod ne quidem legitime ante Sacerdotium genito est datum, qui licet non prohibeantur beneficium habere in Ecclesia, in qua pater ejus habuit, aut præest, aut præfuit; *c. ex transmissa. 7. c. ad hæc. 12. de filiis presbyter. (quod nihil inconyeniens includat talem filium in eadem stare cum patre Ecclesia, neuiquam tamen admissum, ut succedat ei immediatè; c. presentium. 3. c. conquereute. 4. c. quoniam. 10. cum c. seq. 11. c. Michael. 13. eod. in quod maximè respicit Ecclesia, beneficia fiant hereditaria; transmittuntur enim hac via ad indignos; can. Apostolica. 8. qu. 1. Mediatè ut succedat in idem beneficium nihil continere vitii rescripsit Papa Alexander III. c. ex transmissa. 7. & c. ad extirpandis. 11. eod. Quam tamen continuationem immutasse dicitur Papa Clemens VII. & prohibuisse, ne filius etiam post aliam personam intermediam, possit in idem succedere beneficium; & hoc, ut omnis offensionis, quæ inde nasci solet, evellatur occasio. Zaf. d. loco num. 9.*

Quod etiam procedit in nepote; *Gloss. in d. c. ad extirpandas. 11.*
& ibi Innoc.

Ascendens tamen in descendens aut collateralis beneficium, potest succedere immediate; cum id non sit prohibitum: Loquuntur enim canones tantum de filiis succedentibus patri: non ergo ad ascendentes & collaterales extendenda eorum prohibitio; Sunt enim odiosa restringenda. Accedit quod hic rationis paritas cesset. Successio enim filii in locum patris est ordinata, non etiam contra. *l. nam etsi. 15. ff. de inoff. testam.*

Quomodo & frater poterit obtinere beneficium fratris sui, etiam immediate, quia id non reperitur vetitum. *Gloss. ad d. c. extirpandas. 11. loc. num. 11.*

Nec videtur dicta inhabilitas tangere nepotem legitimum ex filio illegitimo; cum nec verba canonis, & Concilii Tridentini *sess. 25. de reform. cap. 15.* id exigant; Loquitur enim de Presbyterorum filiis; hic autem agitur de odiosis: nec actio, (quod scilicet putentur secum incontinentiam paternam;) convenit nepoti, cujus pater non fuit incontinens. *Navar. de filiis Presbyter. conf. 9. & 10. Papon. lib. 21. Arres. tit. 3. art. 4. Zaf. d. loc. num. 12. Diss. Lopez. in pract. sua crim. cap. 48.*

Dispensatio, ut diximus, aufert ab Illegitimis Irregularitatem; sed ea ordinis collationem precedere debet: alioqui actum illicitum. *Gloss. in c. un. de etat. & qualit. ord. in 6. & Dd. in c. 1. in princ. verb. ex dispensatione de filiis Presbyter. in 6.* Quia causa cognitio adhibenda, & decretum quo pronuntiet Episcopus illum dispensatione esse dignum. *Specul. in tit. de dispensat. §. qualiter autem. num. 3.*

Quod si illegitimè natus promoveatur ad Ordines sine dispensatione, recipiet quidem characterem, non tamen Ordinis suscepti executionem: Similiter à beneficiis, ad quæ indispensatus fuerat promotus, amoveatur. *c. constitutus. 8. eod. nisi cum eo postea dispensetur à Summo Pontifice. c. 3. 4. 5. & ibi Glossa eod. Vallens. ibid. num. 6.*

Propterea *hæreticorum*, eorumque *fautorum & defensorum filii* usque ad lineam paternam generationem secundam, ordinari vetantur, etiam si parentum imitati non sint crimina. *c. quicumq. §. hæretici. c. statutum.*

Ecc
tum.

Orvinius
Personis
Ecclesiarum

IV

32

tum. & ibi Gloss. verbo inane. de heretic. in 6. Quando autem mater trinum est harena vel hereticorum faulrix, ordinari prohibentur tantum filii, non nepotes. d. Gloss. verb. inane. in d. c. statutum. Penia in direct. inquisit. part. 3. comment. 163. vers. rursus textus. Bellet. disquis. Cleric. part. 1. tit. de disciplina Cleric. §. 10. num. 27. & 28. Barbof. jur. Eccles. univ. lib. 1. tit. 33. num. 101. Sacra tamen Congregat. Concil. 11. Junii 1591. censuit filios non rejiciendos, si parentes fuisset emendatos constet, & Ecclesie incorporatos, & poenitentiam egisse, vel ei in illa re. Lopez. ad pract. Diaz. verb. Neophytinum. 22. cum seqq. Zyp. Jur. Pontif. novi hoc tit. num. 12.

14 Ordinari possunt Neophyti, id est, novi ad fidem Christianam conversi: sed non facile; Nam lapsus triennii juxta Justinianum. Nov. vel. 5. de Monachis. cap. 2. juxta D. Gregor. can. monasteris. 19. qu. 3. biennii debet expectari, aut saltem spatium per Episcopum definiendum. Zypaus Jur. Pontif. Novi Annal. lib. 1. hoc tit. num. 12. & antequam ordinentur, in eorum vitam, usum, eaque quae illi ad primam vitam sectantur, & secretè conversi nonnunquam observant, & ex quibus dignoscitur Ecclesia, eos iterum reversiones ad illa, diligenter & accuratè inquirendum. Cavallo ad c. Raynaldus de testam. part. 1. num. 223. cum seqq. Frageso de regim. Reipubl. Christ. part. 1. lib. 1. disput. 2. num. 233. cum seqq. Villalob. in sum. tom. 1. tract. 21. diff. 16. num. 3. Barbof. d. lib. 1. cap. num. 102.

15 Eo magis nati ex Judaeis, Saracenis vel Gentilibus, qui voluntatem fidem susceperunt Christianam, nisi ex causa singulari Ecclesiae similitudini, admitti possunt ad ordines & beneficia. Sahagus in c. cum re. 7. de rescript. num. 23. Otalor. de nobilit. 2. part. 3. princ. cap. 7. num. 5. Riccio. al. in tract. de neophyt. cap. 7. num. 30. Solorzan. de Jure Indiarum. tom. 3. lib. 1. cap. 22. num. 77. cum seqq. Zypaus d. loco. De Judaeis enim & Gentilibus conversis fundata est Ecclesia. Gloss. in c. eam re. 7. verb. Judaeis de rescript. Et non generis, sed virtutum nobilitas, vita quoque honestas, gratum Deo faciunt, & idoneum servitorem. c. venerabilis. 37. de prabend. & dignit. c. ad decorem. 5. de institut. D. Thomas super illa D. Pauli verba. Ephes. cap. 2. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraq. amicitiam lect. 5. scribit sic; Quia Christus utrumq. populum, videlicet Judaeorum

colentium verum Deum, & Gentilium ab hujusmodi Dei cultura alienato-
rum conjunxit in unum; juxta illud Joannis cap. 20. Alias oves habeo,
quæ non sunt ex hoc ovili, & fiet unum ovile, & unus Pastor. Et Ezechiel.
cap. 36. Rex unus erit omnibus imperans, Christus autem hunc parietem
removit ut nullum maneret interstitium, factus populus unus Judæorum &
Gentilium; & solvere parietem maceria, est solvere inimicitias, quæ erant
inter Judæos & Gentiles, ex quo oriebatur inter eos ira & invidia. Quam
doctrinam confirmant D. Augustinus. in civit. Dei. lib. 18. cap. 28. &
D. Hieronymus in argum. Epistola ad Romanos.

TITULUS XIX.

De Obligatis ad Ratiocinia Ordinandis,
vel non.

SUMMARIA.

- 1. Reddendis ratiociniis 3. Nec Debitores Reipu-
blici publicis non or- blica.
dinandi; Et qui sint illi.
- 2. Ratiociniis privatis ob- 4. Nec qui redditis ratio-
stricti non prohibentur. ciniis manserunt Debi-
tores.

RoPter vinculum reale, Syndici Universitatum aut Collegi-
orum, Tutores, Curatores, Aëtores, sententiarum aut testa-
mentorum Executores, Procuratores, & id genus hominum,
qui reddendis rationibus publicis, quæ hic appellantur ratio-
cincia, sunt obligati, ante officium finitum, & rationes redditas ordinari
prohibentur. c. un. & ibi Dd. hoc tit. can. Legum. dist. 53. can. fidat. dist.
50. can. magnus. dist. 54. d' Escobar. de ratiocin. cap. 4. ex num. 1. Regi-
nald. in praxi fori penitent. lib. 30. num. 65. cum seq. Campan. in divers. for.
Jur. Canon. rub. 11. cap. 2. num. 2. & 3. Cum quia curis ac negotiis ita
distrahuntur atque involvuntur, ut vacare ordinum ministerio neque-
ant;

Prævinus
Personis
ref. Ecclesiæ

IV.

32